

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A. Level Medieval Latin Examination

14 April 2008

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**
.....

1. **Macarius and the Devil (Legenda Aurea)**

Abbas Macarius vidit Satanam transeuntem in habitu hominis et habentem vestimentum lineum laceratum, et per omnia foramina dependebant ampullae et dixit ei: “Quo vadis?” Et ille: “Vado potionare fratres.” Cui Macarius: “Quare tot ampullas portas?” Respondit: “Gustum fratribus porto, et si unum alicui non placebit, offeram aliud vel tertium, et sic per ordinem, ut aliquid placeat.” Et cum rediret, dixit ei Macarius: “Quid fecisti?” Respondit: “Omnes sanctificati sunt et nemo mihi acquievit, nisi unus, qui vocatur Theotistus.” Surgens autem Macarius illuc ivit et fratrem tentatum inveniens sua eum exhortatione convertit. Post haec iterum eum Macarius inveniens dixit: “Quo vadis?” Cui ille: “Ad fratres vado.” Revertenti occurrit senex et dixit: “Quid faciunt fratres illi?” Cui diabolus: “Male.” Et dixit: “Quare?” – “Quia omnes sancti sunt et, quod est maius malum, unum, quem habebam, amisi et omnibus sanctior factus est.” Audiens hoc senex gratias egit Deo.

2. Some questions about the Fall (Alcuin, Augustine, etc.)

Cum utrique, id est, Adam et uxor eius, ex eodem fructu comedentes uerbum Dei transgressi sunt, quomodo apostolus Paulus dicit ‘Vir non est seductus, mulier autem seducta est’? – Certe sola mulier a serpente seducta comedit, sed cum uidisset Adam mulierem comedisse, ne eam contristaret, tulit etiam ipse et comedit, non quia eam amore muliebri tunc diligeret quem adhuc nesciebat, sed quasi collegam et consortem eam diligens. Propterea etiam ipse comedit.

Cum Dominus Adae dixisset de eodem ligno, ‘Quacumque die comederis ex eo, morte morieris,’ quomodo non est mortuus cum comedit? – Quattuor sunt genera mortis. Prima est cum Deus propter peccatum relinquit animam. Secunda cum anima relinquit corpus. Tertia cum anima post mortem corporis in inferno damnatur. Quarta cum post resurrectionem caro simul et anima cremabuntur. Mortuus est tunc Adam secundum hanc primam mortem, quam diximus, recedendo a Deo. Loquebatur tunc serpens, quando primos homines seduxit? – Serpens tunc sicut nec modo loqui non poterat.

3. True Love (Hugh of St. Victor)

Vita cordis amor est, et idcirco omnino impossibile est ut sine amore sit cor quod vivere cupit. Quid hinc sequatur considera. Si enim humana mens sine amore esse non potest, aut seipsam aut certe aliud aliquid a se diligit necesse est. Quia vero in seipsa perfectum bonum non invenit, si se solam diligeret, felix amor non esset. Oportet ergo, si feliciter amare desiderat, aliud aliquid praeter se quod amet inquirat.

Si autem imperfectum aliquid extra se amare coeperit, amorem quidem suum irritat, sed miseriam non excludit. Feliciter ergo non diligit, donec ad verum et summum bonum per amoris desiderium se convertit. Quia vero summum et verum bonum Deus est, solus ille feliciter amat qui Deum amat, et tanto felicius quanto amplius. Haec est igitur cordis nostri requies, cum in amore Dei per desiderium figitur, nec ultra quicquam appetit, sed in eo quod tenet quadam felici securitate delectatur.

4. The Goddess Fortune rejects criticisms (Walter of Chatillon)

Inscia mens hominum, quanta caligine fati
Pressa iacet, que me tociens iniusta lacescit!
Ius reliquis proprium licet exercere deabus;
Me solam excipiunt, que dum bona confero, magnis
Laudibus attollor; si quando retraxero rebus
Imperiosa manum, rea criminis arguor, ac si
Naturae stabilis sub conditione teneri
Possem. Si semper apud omnes una manerem
Aut eadem, iam non merito Fortuna uocarer.
Lex michi naturae posita est sine lege moueri,
Solaque mobilitas stabilem facit.